Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



galileus est. Et cognouit quod de herodis potestate est. remisit
eum ad herodem. qui ipse eos solutus erat illis diebus. Herodes
autem uiso iesu gauisus est ualde. erat enim ex multo tempore
cupiens uidere eum. ex quod audierat multa de eo. et sperabat sig-
num aliquod ab eo fieri. Interrogabat autem illum multis sermonibus.
At ipse nichil ei respondebat. Stabant autem principes sacerdotum
et scribe. stantes accusantes eum. Spernit autem illum herodes
cum exercitu suo. et illusit indutum ueste alba. et remisit ad pyla-
tum. Et facti sunt amici herodes et pylatus in illa die. nam an-
te erant inimici ad inuicem. Pylatus autem conuocatis principi-
bus sacerdotum et magistratibus et plebe. dixit ad illos. Obtulistis
michi hunc hominem quasi auertentem populum. et ecce ego coram ue-
bis interrogans nullam causam inuenio in homine isto. ex his in-
quibus eum accusatis. sed neque herodes. Nam remisi uos ad
illum. et ecce nichil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo
illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per festum
unum. Exclamauit autem simul uniuersa turba dicens. Tolle
hunc. et dimitte nobis barabam. Qui erat propter seditionem quidam
factam in ciuitate et homicidium missus in carcerem. Iterum autem
pylatus locutus est ad illos. uolens dimittere iesum. At illi iter-
damabant dicentes. Crucifige. crucifige illum. Ille autem tertio
dixit ad illos. Quid enim mali fecit. Nullam causam mortis
inuenio in eo. Castigatum ergo illum et dimittam. At illi instabant
uocibus magnis. postulantes ut crucifigeretur. Et inualescebant
uoces eorum. Et pylatus adiudicauit fieri petitionem eorum.
Dimisit autem illis eum. qui propter homicidium et seditionem missus
fuerat in carcerem quem petebant. iesum uero tradidit uoluntati eorum.
Et cum ducerent eum apprehendentes simonem quendam cyrenensem
uenientem de uilla. et imposuerunt illi crucem portare post iesum.